Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3113
Quelle:
Copyright:

penicillo, quem *Italum* habeo, repraesentatarum speciosis, et picturas IV. grandes non minoris artis exhibens *Horarium* est sequentia complexum: *Calendarium*, in quo nihil peculiare, nisi quod ad 4. Maji *Corona domini* auro notatur, et ad 24. Nov. *Chrysogonus mart.* quod pariter *Italiam* innuit. Horae B. V. M. et quidem *secundum consuetudinem beati dominici et fratrum predicatorum.* Imagini his praefixae subjecta sunt Insignia juncta illustrium *Hispaniae* prosapiarum *Guzmaniae* et *Mendoziae*, quae in *pag.* oppofita redeunt. Officium pro Mortuis. Psalmi *de Poenitentia* cum Litaniis, quibus additae Orationes ad Sanctos Ord. Praed. Missa de S. *Maria.* Officium Crucis et S. Spiritus. Preces variae, quas inter p. 151. lemma D. *Johanni Bapt.* adscriptum: *Ecie Angnius Dei*, os *Italum* prodit. Serius in *Hispania* censurae subjectum *Codicem* fuisse, verba probant, quae ad calcem leguntur: *Vistas y aprobadas* (las Horas) *en Madrid. Octub. 20. 1573. El Doctor beredia.* Ex Thecae ansulis superior exhibet Capita jugata cum Epigraphe O L RVMO. EREM. litera I minore in secunda O inclusa; inferior nomen MARGARITA. Utraque vitro tecta *Oedipum* poscunt. Artis antiquae amatoribus gratae fortassis sint Picturae superius indicatae e Numis, Gemmisque depromtae.

DCCCLXXVII.

Codex membraneus lat. Sec. 964
XV. Folior. 122. 4. charactere crasso eleganter perscriptus, literis initiorum deauratis et picturatis, et XX. Frontispiciis, quorum prima litera, ut cum *Italis* pictoribus loquar, *historiata* est, pari cultu divitibus, *Horarium* est in *Italia* paratum, ut vel sola suaderet ornatus miniatorii ratio, etiam si cetera argumenta deessent. Praeit *Calendarium* inversis per errorem Compactoris Semestribus, in quo peculiariter notantur Sancti *Neapoli* culti, ut adeo *Codex* illuc respiciat. Ita 2. Apr. *Neapoli. Sancti iohannis ep. et conf.* 17. Maji. *Neapoli. Sancte restitute virg.* &c. Sequitur *Officium beate marie uirginis secundum consuetudinem romane curie.* Psalmodia *de Poenitentia* cum Litaniis OO. SS. Officium de Cruce, de S. Spiritu, quod *Papa Benedictus* XII. (1334 — 42.) composuisse dicitur, demum Officium Mortuorum. *Pag. ult.* adscriptum: *Hieronymi Calagrani Episcopi Montis Regalis.* Non vero *Montis* illius *Regalis*, qui in *Sicilia* Archiepiscopatum habet, sed ejus in *Pedemontio*, qui vulgo *Mondovi* adpellatur, cujus Ecclesiae insignia, Crucem argenteam in area rubra, praefert etiam Frons picturata *fol.* 13. Atque ea tardius adpicta fuisse autumo, postquam nempe *Codex* in possessionem dicti *Hieronymi* venit. Quid enim Praesuli *Pedemontano* cum Calendario *Nea-*